COLAI

PERA.

US V.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Liber
Novo Tacin
937/V

Henrici Nicolai

1. Theologiae Epitome.
2. Exercitatio de Methodo Trinitatis.
2.b. Rotgeri zum Bergen Epistolium ad Henricum Nicolai.
3. Exerc. de Medio Religioso et Theologico.
4. Ex. de Conciliatione Enunciatorum.
5. Miscella Theologica.
6. Ex. de non liquendo.
7. Irenicum defensum et explicatum.
8. Irenicum defensum et explicatum continuatum.
9. Exercitatio de Ahasvero Esthera.
10. Exerc. de Symbolo Athanasii.
11. Erklärung der Schrifft im Prediger Salomo IV.4.
12. Tractatus de Pace, Editio emenda.
13. Protestatio super nova Editione Tractatus de Pace.
(14. Georgii Rheti Viduae Reprotestatio antecedenti Protestationi opposita)
15. Protestatio defensa.
16. Oratio de Philosophico Studio cum Theologia conjungendo, praemisso Programmate.
17. Cursus Philosophicus.
18. Exercitatio de Subjecto et Adjuncto.
19. Exerc. de quotidiana Telluris revolutione.
20. Ex. de Astrologiae Veritate, licitaque apud Christianos ratione.
21. Tr. de Modis praedicandi.
22. Tr. de Comparativarum Enunciationum expositione.
23. Rotgeri zum Bergen Res Sacra Amicus sive Epistolium ad Henricum Nicolai.
24. Godofr. Lameli Hymenaei Tumulus.

D. O. M. A.

Quod omnibus felix pariterq; faustum esse, JEHOVAH concedat,

Professionis suæ honorariæ muneri cum DEO in Gymnasio Elbingensi inchoando

ORATIONEM

de conjungendo Philosophiæ studio cum Theologiâ,

Velut anteambulonem præmitti æqvum æstimat,

Ad quam benevolè ac humaniter percipiendam, Omnes cujuscunq; ordinis, literarum Patronos, Fautores, Antistites, Clientes, Sectatores, Cultores,

Observanter, officiosè, humaniter, & amicè Advocat simul ac invitat,

HENRICUS NICOLAI,
Prof. Elbing. honorarius.

Ad ipsas Calendas Iunias, S. N. hujus Anni 1651.

ELBINGÆ.
Typis ACHATII CORELLII,
ANNO à partu Virginis matris, M. DC. LI.

Quod de Urbe Româ ſuo ſeculo ſive *Qvintilianus*, Sive *Tacitus*, ſive qvicunq; author agat, in *Dialogo de Oratoribus* protulit, inter cauſas corruptę eloqvētię, & qvòd tàm ab antiquâ libertate, qvàm eloqventiâ majorum degeneraverint, deſidiam juventutis, negligentiam parentum, inſcitiam præcipientium, ac antiqui moris oblivionem meritò recenſendas, vitiaq; primùm in urbe nata, mox per univerſam Italiam fuſa, jam in provincias manaſſe: *Præterea* propria qvædam ac peculiaria Urbis vitia infeſta fuiſſe, velut in utero matris concepta, ut hiſtrionalem favorem, gladiatorum eqvorumq; ſtudia, qvibus obſeſſum animum parum omnino bonis artibus relinqvere poſſe: Id de omni genere literaturæ noſtro tempore corrupto, aut perdito, affirmari non ſine causâ poſſe videatur, & experientiâ teſte veri revincatur. Neq; enim qvantumvis parùm emunctæ frontis homo ſit, inficiari qvisquam poteſt, deſidiam, negligentiam, inſcitiam, oblivionem, Vanitatum amorem ac ſectationem ſonticas Cauſas eſſe, qvibus & literas ſuccumbere, & amorem earum in animis hominum extingvi neceſſum ſit. Ut non ignotorum cupido nulla eſt: Sic neglectorum aut oblivione ſepultorum nulla cura aut veſtigatio. Ex

adverſo

adverſo apud Vetuſtos pleraq; contraria extiterunt. Amor verusq; ardor literarum, diligentia, inqviſitio, notitia, antiqui moris ſtudioſa obſervatio, ſtudium ſalubrium ac ſolidorum, ſummoperè paſſim viguere. Ut variis artibus antiqua tempora nomen ſibi comparârunt, ut domitandis eqvis aut pugilatu aliquis nobilis factus ſit, aut pingendo alius ſibi nomen condiderit, aut ædium moliendarum peritiâ celebratus, vel derivandis in ſimulacra fontium aqvis claritudinem nactus ſit, aut ſi qua ars alia vel ſuo, vel ſeculi genio valuerit: Ita ſcientiis, eruditione, eloqventiâ, multum noſtris præripuerunt. *Si qvis eloqventiæ* deſtinatus, omnem Veterum Philoſophiam percurrebat. Id de ſe *Orator in Bruto* conteſtatus, initia, gradus, & eloqventiæ qvandam velut educationem, recenſet. Apud Q. Mutium jus civile hauſiſſe, apud Philonem Academicum & Diodotum Stoicum omnes Philoſophiæ partes penitùs cognoviſſe, Nec doctoribus in urbe contentum Achajam & Aſiam peragraſſe commemorat, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. *Si qvis juri civili* ſe manciparet, omnem vetuſtatem, ritus, ceremonias, antiquas leges ac ſtatuta cognita reddebat. *Si qvis* ad Medicandum animum componeret, univerſam Vetuſtatis doctrinam, *Hermetis*, *Hippocratis*, *Galeni*, *Celſi*, aliorumq; comparabat, ne reciperet, qvod non aut antiquitatis ſuffragio, aut ſolidæ experientiæ teſtimoniis comprobarertur. His modis gradibusq; ad exactæ notitiæ faſtigium felici pede progreſſi Veteres, variam ſcientiam animo percurſam, & propè decantatam acqviſiverunt. *Noſtra* ſi quis aut inquirat, aut advertat, in pluribus Vetuſtis adverſa, longè ab ipſorum faſtigio recedentia, deprehendat. Fermè umbra ſcien-

tiæ nobis. Et si qvid antecedentium temporum vacillatio aut lapsus intulerit, indè nobis, qvid ex usu fiet, qvid agendum cavendumq; , sagaciter advertendum fuerit. Non enim facilè qvis aggreditur, ubi alium ante se deviasse experitur. Corrigere enim seqventem lapsus prioris solet, & de reprehensione antecedentis exempli emendatio futuri enascitur, aut suscipitur. *Sed nobis aut ignavia & torpor*, ne velimus, aut stupor obstant, ne possimus, aut incuria, ne etiam lapsus præcedentes advertamus: nec ardor ille, qvi in Veteribus, nobis adest: sed contemptus solidæ antiquitatis, ne ad meliora adhæreamus, & vanorum præ solidis aucupium nos occupat, ne dignoscere aut eligere valeamus, & concupiscentiis blandientibus, qvibus caro enerviter subjugatur, vitiorum exercitus adversùs animam armatur, demersi agimus, ne vel in eloqventiâ, vel ullâ literaturæ parte, cum Vetustate componi mereamur. *In temporum qvandoq; declinationem* torporem rejicere solemus, qvem propriis vitiis imputare justius foret. *Damnosa qvid non imminuit dies?* Ætas parentum pejor avis tulit nos neqviores, exclamat in Odis *Lyricus*. Sed vitia nos versant, qvæ fucatâ ratione temporibus inscribimus, Eaq; *partim retecta* & in aperto posita, qvæ manu prehendas: *partìm obscura* & in recessu sita, qvæ alienâ specie imponunt: *partìm ex intervallis* redeuntia, & fatigatos infestantia, velut qvi ex occasionibus invadunt hostes, apud qvos nec ut in bello paratis, nec ut in pace securis, agere liceat. Pituitâ ac stupore demersi, ne paratas qvidem artes, aut oblatas, satis agnoscere valemus. Qvibus qvâ ratione & compendiosiore viâ occurrendum sit, non ita in obscuro reconditum esse potest. *Contraria contrariis curari*, Medicorum præscri-

præſcriptum eſſe ſolet. In moralibus ſimile qvid ob-ſervare nihil eſt, qvod prohibeat. Facto in *Ethicis*, *Politicis*, occupare ſolemus. Ergò pro ſtupore ſagacitatem, in locum torporis alacritatem, pro deſidiâ diligentiam, incertitudine conſtantiam, contemptu antiquitatis ſolidam ejus inqviſitionem & imitationem; vanorum aucupiis ſolidorum appetitum ſubſtituere oportebit. Sed qvibus auxiliis ad hæc deveniendum, qvî paratiſſimè vitia animis excutiamus, oppoſitas virtutes inſeramus, opus fortè & labor erit repræſentare. Sanè virtutum omnium *tenera ſolent eſſe primordia.* Tempore ipſis duramentum ac robur comparari ſolet. Etiam, qvæ ad placendum fuco qvodam ſubornantur, qvæ in ſpeciem laborant, ut dignitas & eloqventiæ fama, annos requirunt, & morâ convaleſcunt, ut colorem à diuturnitate ducant. Conſvetudo rebus conſtantiam inferens, & virtutes, & vitia altiùs figit, & tàm bonorum, qvàm malorum longa exercitatio promptitudinem inducit. *Ingenium* homini à DEO & Naturâ paratum eſt, ut virtuti & eruditioni habilis ſit, & comparare valeat. Sciendi deſiderium naturæ inclinatione non diſtortis naturis inſeritur, ab ipſis naſcendi cunabulis primordia ducit. Verùm ſcientiæ aut notitiæ nihil homini facto ipſo connaſcitur, ſed tempore inſeri ac infigi reqvirit. Nudæ inſtar tabulę intellectum eſſe dixit *Ariſtoteles*, in qvâ nihil facto ſcriptum, omnia tamen ſcribi qveant. Naſcitur homo cum ignorantiâ rerum omnium: Habilis tamen & diſpoſitus ad omnem ſcientiam. Senſus ope, phantaſiæ, memoriæ, intellectus beneficio, ſpecies tandem rerum formare incipit, componit, judicat. Tùm ad diſcutiendum ſe traducit, longiq; temporis conſvetudine vim majorem

obducit, qvæ in habitum transeat, atq; animum interiore promptitudine perfundat. Qvi stimuli desiderio subdendi sint, ut se ultra vulgus homo provehere intendat, ut molestias superare, & pergere conetur, ad solidiorem scientiam contendat, prolixæ commentationis negotium fortè videri qveat. Conferri hic momentum *à Mecænate, à Nobis ipsis, ab illis*, qvibus cum versandum nobis aut vivendum, fortasse potest. *Mecænas* præmiis solicitare de publico lecta præ cœteris ingenia potest, ut de cultu cogitare incipiant. Honos alit artes, omnesq; incenduntur ad studia gloriâ, ait in *1. Tuscul. Orator.* Scis, bonas artes honore nutriri, atq; hoc specimen esse florentis Reipublicæ, ut disciplinarum Professoribus præmia opulenta pendantur, ad Hesperium suum *Symmachus* alicubi scribit. Cum dignis fructus tribuitur, eandem viam capessentibus spes paratur. Hoc *Maronem* in Poëtam, *Horatium* in Lyricum Vatem, *Martialem* in argutum epigrammatisten extulit. Id *Senecæ*, qvem Nero immensis opibus qvasi impensis differsit, ad Philosophandum, *Aristoteli* ad egregia opera scribenda, in qvibus animalium historia 80000. Philippicis ab Alexandro M. pensata, calcar subdidit, qvæ sine tantis Mecænatibus elangvissent. *Homo ipse* erigere sese, & Christianus contemplatione priscæ felicitatis, imaginis illius, ad qvam in Adamo conditus, Sathanæ invidentiâ excussus est, qvæq; inter alia plenam insignemq; naturalium & moralium notitiam complexa est, in perditæ restaurationem animum demùm intendere valet. Potest *& lectio fortior* erigere impetum, ac æstimatione defectus ad id, qvod optatur, acqvirendum mens humana incitari. *A circumpositis* aculeos figere qveunt exempla nobilia, ac suggestor mone-

re

e poteſt, ut comparemus, qvibus nos ipſos perficiamus, lliis vel vocem, vel operam, commodemus, ſi non profuturam, tamen prodeſſe conaturam. Ut caveamus à ransverſis multorum veſtigiis, paſſim diſcurrentium, vel circa ipſas vias errantium, multos avocantium, qvò ninùs literas aut eo ardore, qvo decet, capeſſant, aut qvotidiè proficiant. Obſtacula enim virtutibus exempla ppoſita faciunt, & qvos benè ferri videas, contrariorum nocivitate à bono propoſito deturbari advertimus. Certè ligare poſſunt, ne egregii animi impetu ſuccenſo itantur, ut fluentum frigus conſtringit, ne defluat, qvod calore in fluendo perſiſteret. *Media* nobis ergò paranda, ad promovendum, *remedia* adversùs morbum, *notitia* ad uſum. Atq; ea ad oculos ſimul, & mentem demittens Nobiliſſimus ac Ampliſſimus Urbis hujus Magiſtratus, pro à ſolicitudine, qvâ Patriam complectitur, & affectu, qvo n literas fertur, non obſtante diſtrictà temporum difficultate, non novà inundationum, qvibus DEUS peccata noſtra viſitare hoc vere ſuſtinuit, preſſurà his terris obusâ, faciendum omninò cenſuit, ut de literis commodè pud ſe degentibus cogitaret, ac de reſtaurando Gymnaii emolumento ſeriò meditaretur. Eo fine accitus præter ordinarii operis in eo functuram, & honorarius unus lterq;, qvi prodeſſe egregio publico poſſet, & affectu ellet. Illis velut publicis illiciis ingenia diſcentium ad iteras inflammaret, & in capeſſendis robur ac conſtantim ingereret. In qvibus cum & meam qvalemcunq; facultatem enitere dignam viſam cenſitum fuerit; eſt, ut ego le tali judicio mihi gratuler, & judicandi favorem agenlorum alacritate confovere meminerim. Qvam ad rem negotii primordiis cum DEO & profuturo, ut ominabor,

labore

labore accincturum, movit inter prima mos antiquis servatus, ad Nos traductus, nec sine ratione observatus, ut prima notitiæ publicæ in hac Urbe rudimenta non sine publicæ Orationis actione capesserentur. Cui ut placidâ aliquâ audientiâ apparatur, pro cujusq; statu & conditione officiosè ac amicè litteratos invitatos volo. Dicendi argumentum pro studiorum, qvæ tractaturus sum, ratione compositum erit, *partim Philosophicum*, *partim Theologicum*. De utriusq; studii juncturâ in Theologicis aliqua differere constitui. Destinatus actioni dies 1. Iunii est, qvem solenni curæ admotum confluxu Vestro honoratum reddere, nisi grave est, dignamini. Largiatur supremum Numen, ut universa sibi in gloriam, Urbi in famam, publico usui ac Gymnasio in salubre emolumentum parentur & eveniant. In qvo voto mihi finire, Vobis ad audiendum benevolè concurrere & adesse, decorum existimavi. Scriptum Elbingę, 30. Maji, S. N. Anno Orbis redempti, M. DC. LI.